

ZITT.



**I. N. D. N. J. C.**

*Alma Marchiarum Universitatis*

Magnificum Rectorem,

Excellentissimos Proceres,

Nobilissimos & Clarissimos Cives,

comparere officiosè rogat

*AD*

# ORATIONEM

INAUGURALEM,

Lectionibus publicis proximo Die Sabba-  
thi præmittendam,

*DEI T. O. T. M. Auspicio,*

Serenissimi atque Potentissimi Electoris

Brandenburgici Decreto,

Incliti totius Senatus Universitatis Receptione,

Constitutus

*S. Linguae Professor Publicus Extraor-  
dinarius*

**M. JOHANNES RISSELMANNUS**

Bremâ-Saxo.

Francofurti ad Oderam,

Excudebat SALOMON EICHORN.

ANNO M DC LX.

*ga*



Rchitecto domum exstructurò curæ cordi-  
que est, fundamentum firmum atque soli-  
dum jacere, quo totum ædificium sit ruinæ  
tutum. Idem omnibus disciplinam excul-  
turis incumbit. Fundamento neglecto,  
admodum sterilis in disciplinis datur  
progressus; aut, si tamen aliqua illarum acquiratur  
scientia, tanquam arenoso innixa solo, facile collabascit.  
Ut reliquas omnes in præsentiarum sicco pede transiliam,  
quantum in Theologia proficiet, qui Logicæ & Metaphy-  
sicæ, Linguarum insuper Originalium postposuerit stu-  
dium? Tantillum certè. De Logica & Metaphysica jam nō  
dicam, cùm carum necessitatem ob disputandi artem &  
terminorum rerúmq; Philosophicarum, quibus Theolo-  
gia involuta ac immersa, frequentiam nemo non videat.  
Linguarum Originalium necesitas, cumulatis jam versio-  
nibus & commentariis innumeris, à multis vocatur in du-  
bium. Sed malè: Licet enim versiones & commentarii,  
Magnorum Virorum lucubrations, minimè despiciendæ,  
maximi æstimandæ; certum tamen est, illos, quos his lin-  
guarum initia contentos esse jubet, aliorum oculis vide-  
re, aliorum manibus credula simplicitate mentis suæ gu-  
bernaculum committere, nec cum Deo loqui nisi per in-  
terpretem. Tales, celeberrimus inquit *Waleus*, cum plebe in  
atriis stantes è longinquo sacra contuentur. Qui verò scriptu-  
ram originalem legit & intelligit, cum sacerdotibus in ipsa pe-  
netralia admissus, omnium que intus aguntur, ipse arbiter &  
testis est. Quid? quod linguarum sacrarum studio suppres-  
so, horrendæ tenebræ oboriantur & immanis barbaries  
introducatur: eodem autem vigente, tenebræ obortæ di-  
scutiantur, & barbaries introductæ in exilium mittatur.

Annis

Annis à Nato Christo quadringentis usque tempora Hieronymi Stridonensis Biblia Hebræa in Linguam Latinam transferentis, & in Occidentales Ecclesias verbum Dei propagantis, doctrina Evangelica aliquantò remansit purior, eò quod plurimi subinde erant, qui fontes ipsos potius quam rivulos adirent. Eadem verò non longè post, linguarum sacrarum studio cessante, errorum tenebris paulatim circumfusa & barbarici immersa fuit. Ipsi etiam Patribus & Scholasticis, quorum multi coetera fuere ingenio atque doctrinâ excellentissimi, Linguarum Originalium ignorantia tantas attulit frustrationes, ut plurimis in locis cœcutierint. De illis ita Melanthon: Aperuerunt illi seras securibus, & ligna clavo fiderunt. Item D. Lutherus: Nunquid hoc temovet, quod sanctissimi Patres in explicandis scripturis adeò frequenter impegerunt? Et licet subinde recte aliquid dixerint, incertitamen fuerunt, an videlicet in Originali ita esset ut illi interpretabantur. Ut proinde verè dixerint Viri magni Mercerus & Pareus, Ebraismorum ignorantiam horrendos errores in ecclesiam invexisse.

Errorum hætenebræ ad mille ferè annos cum edurâssent, Deus ecclesia suæ clara Evangelii luce denuò afulsurus, excitavit linguarum studiosissimos & peritissimos viros, qui turbatorum lacuum pertæsi ex purissimis hauserint fontibus, & Theologiam nitoris suo restituerent. Inter hos clarissima illa exorta lumina, Johannes Capnion Phortzensis, vulgo Reuchlinus dictus, U. J. D. Santes Pagninus Lucensis, Sebastianus Munsterus, Sebastianus Castalio, aliique, quorum laboribus lux verbi Divini rursus coepit invalescere, hæreses & errores detegi veritatisque reviviscere. Sic aditus apertus ad limpidissimos Israelis fontes, quos Romanorum Pastorum inydia tot seculis obturârat. Verum

rūm infensissimus humani generis hostis illico subolens,  
 conamina illa regno suo minari ruinam, eique tantum esse  
 illatura damnum, quantum ex linguarum sacrarum con-  
 temtu cepisset incrementum, illa magno cum furore per  
 Colonienses, Lavonienses & Sorbonicos Theologos, at-  
 que adeò universam Monachorum conflugem irrita face-  
 re attentavit. Sed Benignissimum Numen, hostium con-  
 siliis elusis, viros istos confirmavit, ut varia scripta Hebrai-  
 ca in lucem protulerint, quæ posteris ad studium hoc ma-  
 gis magisque excolendum calcar adderent. Stratâ ita Re-  
 formationis viâ, excitavit Deus Zwinglium, Lutherum, Cal-  
 vinum, alios, qui beneficio & ope linguarum ipsum Refor-  
 mationis opus aggressi idem felissimo successu sunt perse-  
 quuti. Ita patet, studio Orientalium Linguarum fervente,  
 verbum Dei clarissima luce resplendere, illo vero frigente,  
 crassis tenebris obscurari: ut vera ac solida verbi divini co-  
 gnitio in vera linguarum, quibus descriptū est, cognitione  
 fundamentum positum habeat. Sicut autem Linguarum  
 Originalium beneficio lux verbi divini è tenebris produ-  
 citur, ita producta earum beneficio propagatur atque con-  
 servatur: nec vero alia ad lucem illam cœlestem extin-  
 guendam & ad veterem barbariem reducendam magis  
 compendiaria est via, quam si linguarum studia intereant.  
 Quanto igitur ardore ipsa lux Evangelii amplectenda, tan-  
 to quoque fervore sacrarum linguarum alendum est stu-  
 dium. Nec solum alendum, ut versiones subinde ad fontes  
 revocentur, earumque puritas conservetur; sed etiam  
 porrò excitandum, ut nodi adhuc residuis solutis, certisq;  
 loquendi proprietatis, quæ sœpè magnarum controver-  
 siarum momenta dextre divellunt, eritis, hæreticorum  
 strophis obviām iri possit. Quod cō diligentius præstan-  
 dum,

dum, quod ardenter Adversarii linguarum studio in-  
 cumbunt. A principio quidē Reformationis in Eccle-  
 siis nostris linguarum & Sacrae Scripturæ studia florue-  
 runt, eis inter Pontificios alto sepultis sopore. Experti  
 verò Pontificij, ad Ecclesias Evangelicorum ex cogni-  
 tione f. linguarum magnum redundare emolumen-  
 tum, quæstiones grammaticales cum hæreticis ab-  
 rumpendas, colque à studiis istis arcendos & abdicen-  
 dos suaserunt. Sed ne sic quidem voti compotes facti,  
 aliam ingressi sunt viam, feliori quoque progressus  
 Evangelicorum arma arripuerunt, ut eos proprio ju-  
 gularent gladio. Cùm antea Evangelici in Pontificiis  
 linguarum s. contemtum risissent, hi, ut notam istam  
 cluerent, & propositum obtinerent, indefesso labore  
 Linguarum Originalium studiis litarunt. Celebris ille  
**Dominicanus Bannes** testatur, se in extrema senectute  
 Ebræam linguam didicisse, ne amplius ab hæreticis ri-  
 deretur. Quod Hebraicum studium postmodum à Pon-  
 tificiis tam necessarium tantoque in pretio habitum,  
 ut **Alfonso Mendoza Hispanus** dixerit, non posse dici  
 Theologum, qui in Hebraicis literis non mediocriter  
 fuerit institutus. Cui elogio multi alii suum quoque  
 calculum adjecerunt.

Nec Pontificiis solūm, sed etiam **Arriani & Soci-  
 niani**, imò, quod majus est, ipsi Anabaptistæ, omnis o-  
 lim eruditioñis ofores acerrimi, studio f. linguarum  
 sese consecrant. Pontifici vigilant tandem, vigilant  
 Photiniani, inquit **Tarnovius**, dum omnes Biblia sacra  
 in fontibus perlustrant. Quid h̄ic nobis agendum?  
 An in utramque aurem securi dormiemus? Minime  
 verò. Vigilandum & fortiter resistendum. Nonne mi-  
 liti

liti alioquin victorioso indebilis ignominiae nota  
 inuretur, si hostem talibus armis instructu videns, qua-  
 libus ipse prospero successu usus, abjectis armis, fugâ  
 sibi consuluerit? Evangelici tempore Reformationis  
 armis sacrarum linguarum induiti Pontificios illis de-  
 stitutos ex voto debellarunt; jam cum hostes iisdem  
 armis muniti, suis depositis, palmam deferrent? Quin  
 potius retinuerint, eaque magis magisque acuta & po-  
 lita in hostes vibrare strenue perrexerint. Dum hodie  
 Pontificiorum doctissimi, vulgari isto principio reje-  
 cto, Hebraeum textum à Judais corruptum esse, à vul-  
 gatâ ad ipsos fontes provocent, indéque sua dogmata  
 adstruere conentur, nonne causâ quamvis bonâ su-  
 mus casuri, nisi linguarum beneficio eam obti-  
 nuerimus? In Pontificiis hactenus damnavimus,  
 si quando illi ex vulgata Latina versione iverunt  
 sua probatum. Ne igitur in idem incurramus vitium,  
 quod in illis reprehendimus, scriptura non per solam  
 variæ interpretationis transennam eminus à nobis a-  
 spicienda, sed penitus sanctorum linguarum subsidio  
 intuenda ac scrutanda, ut versionibus in dubiū vocatis,  
 adversariis ex fontibus ipsis satisfacere queamus. Neq;  
 dubium est, quin magno adhuc intervallo à perfectio-  
 ne sua absit sacra Philologia: variæ loquendi ra-  
 tiones in ea restant enodandæ. Tantum igitur abest, ut  
 studio Philologico nuncium remittamus, ut potius  
 ad ejus perfectionem summis viribus aspiremus. Cre-  
 scet sic indies, & inventuris inventa non obstabunt.  
 Qui præcesserunt, non præripuisse nobis videntur,  
 quæ hodie dici docerive in hoc genere possunt; sed  
 aperuisse, Vero congruit, Deum in futura & dubiopro-  
 cul

cui jam jam imminente Judæorum ad Christianismum  
conversione non alio medio quā authentico V.T. tex-  
tu maximè esse usurum : ex hoc Judæi convincendi :  
ex hoc argumenta Messiam in carnem jam venisse pro-  
bantia sunt petenda.

Ex quibus omnibus liquidò constat, quām ne-  
cessarium Theologis Hebrææ linguae sit studium. Ne-  
cessitatem hanc probè secum reputantcs Doctores  
Belgici, annos triginta & amplius in synodis Provin-  
cialibus unanimiter decreverunt, ut Theologiae Can-  
didati, quotquot ad examen Ministerii Ecclesiastici  
admitti desiderarent, præter testimonia Senatus Aca-  
demici & Theologiae Professorum, muniti quoque es-  
sent testimonii Professorum Hebrææ & Græcæ lin-  
guæ, quibus docerent, se in prædictis linguis eos sal-  
tem progressus fecisse, ut originalem Veteris Novique  
Testamenti textum mediocriter possent intelligere ;  
utque in classe ista, cuius examini se offerrent, ejus  
quoque rei specimen edere tenerentur. Adeò necessa-  
riam Theologiae Studiosis Hebrææ linguae notitiam  
judicarunt Doctores Belgici, ut nullum censuerint  
dignum, qui munus ecclesiasticum obiret, nisi qui in  
Linguis Originalibus quoq; eslet mediocriter versatu-  
sus. Nec absque re : namque effecerunt, ut Belgium &  
omni disciplinarū genere, & Theologica eruditione,  
& Hebraicæ Linguae cognitione celeberrimis abundet  
viris. Studii Hebraici necessitatem & illi in Germania  
superiore constituti agnoscunt, quotquot Academia-  
rum curam gerentes præter alias Professores & Lin-  
guæ Hebrææ notitiâ imbuitos studiosæ juventuti præ-  
ficiunt.

SE-

15

SERENISSIMUM ac POTENTISSIMUM  
ELECTOREM BRANDENBURGICUM, Eccle-  
siarum & Scholarum Nutritum Munificentissimum,  
Dominum nostrum clementissimum, studium Philo-  
logiæ Sacrae maximè necessarium ducere, vel inde pa-  
tet, quod Serenitas ejus sœvientibus adhuc armis, inter  
quæ ut leges ita artium liberalium studia ut cunque si-  
lent & frigent, ad Extraordinariam Hebrææ Linguæ  
professionem clementissimè me vocavit. Vocationi  
huic ego humillimè morem gerens à Magnifico Do-  
mino Rectore & inclito Senatu Academico in nu-  
merum Professorum sum receptus. Antequam autem  
lectionum publicarum faciam initium, ex recepto A-  
cademiæ more proximo die Sabbathi, qui erit XIX.  
Maij, Orationem præmittam. Ad quam Magnificum  
Dominum Rectorem, Academiæ procères, omniumq;  
ordinum Cives officiosissimè invito. Quo impetrato  
sibi me eò arctius alligabunt, ut, quæcunque ad illos  
pertinere arbitrabor, omni studio & cura susci-  
piam atque persequar.



SE-

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

misc.33 digitalisiert PPN: 314386882



Coll. Diss. B 129

BIBL.